In una parte.

3. M. Agrippa corona ornatus nauali, seu rostrata, & Augustus laurea effigiati, auersis ab inuicem oribus, ita ut alter dextro, alter sinistro sit lateri intentior, cum talibus literarum monumentis. supra. IMP. Subter utriusq; mentum. P–P. infra. DIVI F.

In altera.

Crocodilus ad palmæ ramum ingentem humi defixum alligatus cathena ænea, ad læuam uiam prorumpere frustra nititur. À summa palma corona laurea lemniscata pendet, infra feram immanem, tabificamq;, palmæ minor, & lauri ramuli adparent, decussatim impressi. Nummum eum æneũ ego domi habeo. In alio nummo, in aduersa parte laterales literæ .P.P. desiderari uidentur, quem habet (ut opinor) apud se D. Joannes Jacobus Fuccherus... Supra sectile legitur. COL. NEM.

In una parte.

4. Augustus corona querna coronatus, & Tiberius inornatus, mutuum cominus respectant. Inscriptiones singulæ singulis additæ. DIVVS AVG. IMP. DIVI F. P.P. &. TIBERIVS CAESAR IMP. COS.

In altera.

Mausolæum Augusti, structura eleganti, pinnis è medio, in utrumq; angulum paulatim gracilescentib.